

# Szmańska, Irena

---

## Venditionis asini syngrapha

---

The Journal of Juristic Papyrology 2, 115-119

---

1948

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## VENDITIONIS ASINI SYNGRAPHA

Oxyrhynchi                  10 × 25 cm                  a. 311 p. Chr. n.

Inter instrumenta privata, quae bello peracto in collectionem Varsoviensem ex Universitate Vratislaviensi pervenerunt, charta quaedam papyracea invenitur anno 311 inscripta et ad syngrapham venditionis asini in pago Oxyrhynchico confectam pertinens. Venditor cui Aurelius Zacaon est nomen ex vico Πλανεύει Aurelio Heracla emptori testatur se ei asinum marem nigrum pullum pretio talentorum sex et trium milium drachmarum vendidisse. De cunctis quaestionibus, quae ad emptiones animalium pertinent, olim accuratissime egit Orsolina Montevercchi in commentariis q. i. *Aegyptus* XIX, 1939 p. 11 sq. et praesertim p. 33 sq., *Ricerche di sociologia nei documenti dell'Egitto greco-romano*, cf. etiam R. Taubenschlag *The Law of Greco-Roman Egypt in the Light of the Papyri*, New York 1944, p. 252 sq. Syngraphae, quae adhuc in papyris exstant et ad emptionem vel venditionem asinorum pertinent, in tria temporis spatia ab Italorum muliere docta divisae sunt. Ad primum igitur pertinent eae, quae ss. I et II p. Chr. n. usque ad a. 180 perfectae sunt. Hoc tempore asini pretio 100 drachmarum et quod rarius accidit 200 drachmarum, vel plus adeo emi solent. S. II exeunte et s. III ineunte, cum pecunia Romana se in peius declinare coepisset, et asini iam pretio 400, 500, 600 drachmarum emebantur, saeculo denique III medio et exeunte atque postea s. IV propter magnam nummorum copiam asini impenso pretio 5, 6, 10, nonnunquam vero etiam 40 talentorum traduntur.

Quae syngrapha ipso suo contextu ad chartam Berolinensem BGU II 373 proxime accedere videtur atque e his fere partibus composita est:

- 1) Venditor emptori profitetur se ei animal quoddam vendidisse; quod his fere verbis exprimitur: ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι ὄμολογεῖ πεπρακέναι, et deinde animal de quo agitur describi solet:

- a) ab eius cutis colore: λευκός Flor. 53, 6; 16 (IV); λευκόχρωμος Preis. 37, 7. Grenf. I 10, 11, Petr. I, III; λευκόχροος Lond. 333, 22; μαύρος Soc. 38, 6; Fay. 92, 12. Lond. 282, 12; 313, 17; Gen. 23, 4; BGU 527, 12; 584, 4 μαύρωμος Oxy. 1707, 6; λευκομαύρος BGU 228, 4; 1066, 6; Lond. 303, 16; λευκόστερνος BGU. 982, 9; μέλας Flor. 9, 13; περιμέλας BGU 806, 4; γελιδωνιαῖος Thead. 4, 5.
- b) aetas animalis designatur: ἄβολος Hamb. 33 II, 3, 20; πρωτοβόλος BGU 584, 3; δευτεροβόλος Oxy. 1708, 10; τετραβόλος Soc. 79, 10; τέλειος BGU 806, 3; πώλος Lille 8, 9;
- 2) Venditor de pretio ex composito a se accepto profitetur.
- 3) Sequuntur stipulationis clausulae.

Inter papyros, quae in vico Theadelphia ad lucem surrexerunt, domus Zacaonis Σαταβοῦτος filii e s. IV ineunte plerumque occurrit, sed ad syngrapham Varsoviensem supplemandam nihil, quod dolemus, confert.

- Τπατίας τῶν δεσπ[ο]τῶν ἡμῶν  
 Γαλερίου Οὐαλερίου Μα[ξιμ.]ιανοῦ Σε[β]αστοῦ  
 τὸ γ' καὶ Γαλερίου Οὐαλ[ερίο]υ Μαξιμίνου  
 Σεβαστοῦ το β'
- 5 Αὐρήλιος Ζακάων Οσ. ποσ. τος  
 Μαθάσιος ἀπὸ κώμης Π[α]γενε[ε]  
 τοῦ Ὁξυριγχέτου νο[μοῦ] Αὔρηλίφ  
 Ἡρακλῆς ορίωνος διὰ.. μιω. ος  
 ἀπὸ τῆς λαμ(πρᾶς) καὶ λαμ(προτάτης) Ὁξυρύγχων)
- 10 πόλεως χαίρ(ειν). διμολογῶ  
 πεπρακέναι σοι ἐπ' ἀγορᾶς τοῦ Ὁξυ(ρυγχέτου)  
 ἔνον ἀρειον μελανόχρωτ(α)  
 ἄβωλον τιμῆς τῆς συμπε[φω-]  
 νημ[έν]ης πρὸς ἀλλήλους ἀργ[υρίο]υ
- 15 Σεβαστ[ῶ]ν νομίσματος τάλα[ν-

τα ἔξ καὶ δραχμὰς τρισχιλίας, [η ἀ-  
πολαμβάνεις] αὐτὸν. ἀπέσγον  
παρὰ [σοῦ] ἐκ πλήρ[ο]υς διὰ χειρὸς  
περὶ ής ἀριθμήσεως ἐπερωτη-  
20 θίς ὡμολόγησα. τ[ὸν] δ' αὐτὸν ὅνον  
ἐντεῦθεν παρίληφας παρ' ἐμοῖς τοῦ-  
τον τοιοῦτον ἀναπόριφον καὶ ἀν-  
επίλημπτον [καὶ βεβαιώσ(ω)]  
πάσῃ βεβαιώσι καὶ τὸν ἐπελευ-  
25 σόμενον τοῦτο[ν] πρὶν ἐπάναγκες  
ἀποστήσω παραχρῆ[μα ταῖς ἐμ]αυτοῦ  
δαπάναις καθάπερ [ἐκ δίκ]ης. κυρία  
ἡ πρᾶσις [ά]πλὴ γρα[φεῖσα καὶ ἐπερω-  
τηθίς ὡμολόγησα. [ἔτους γ καὶ β]  
30 ὄπατίας μηνὶ Ἰσαι[  
Αὔρήλιος Ζακάων πέπρακα  
τὸν προειρηνέ]νον ὅνον [καὶ ἔσχον  
τὴν τιμὴν πλήρης, ως πρόκιται.  
Αὔρήλιος Όρίων ἔγραψα ὑπὲρ αὐτοῦ  
35 μὴ εἰδότος γράμμα[τα].

6. Πανευεῖ: cf. Oxy. 626, 3; 747, 18; 1559, 9; Μαθάσις nomen novum esse videtur, sed cf. Μαθαῖος, Μαθείας.

13. I. ἄβολον.

24. I. βεβαιώσει.

28. πρᾶσις ἀπλὴ γραφεῖσα: cf. Oxy. 1277, 13.

28. I. ἐπερωτηθείς.

30. ὄπατίας μηνὶ Ἰσαι[... lectio certa esse videtur, sed de quo mense agatur plane in dubio sum.]

Dominis nostris Galerio Valerio Maximiano Augusto VIII Galerio Valerio Maximino Augusto II consulibus Aurelius Zacaon ..... ex vico Πανευεῖ Oxyrhynchici pagi Aurelio Heraclā Horionis per ..... ex clarissimo et magnificen-  
tissimo oppido Oxyrhynchorum salutem dicit. Confiteor me

tibi vendidisse in foro Oxyrhynchici (pagi) asinum marem nigrum pullum pretio inter nos composito nummis argenteis Augustorum talentorum sex et drachmarum trium milium, quo pretio illum redimis. Accepi a te in completo per manus de qua summa interrogatus professus sum. Ipsum vero asinum inde a me accepisti atque illum non redhibendum neque retrahendum et omnem auctoritatem praestabo atque si quis de eo questionem fecerit, statim meis propriis sumptibus, velut ex sententia forensi, repellam. Venditionis syngrapha semel perfecta legitima esto et interrogatus professus sum. Anno VIII et II consulatus, mense --- Aurelius Zacaon vendidi asinum supra allatum et accepi pretium in completo sicut propositum est. Aurelius Horion scripsi pro illo scripturae inscio.

Syngrapha exarata est ea forma, quae *χειρόγραφον* appellari solet atque in talibus instrumentis saepe fit obvia, cf. Taubenschlag, *The Law* 253 n. 6.

17-19. Venditor de pretio a se ex composito nummis praesentibus de manu in manum accepto profitetur.

19-20. Stipulationis clausula.

22-23. Animal traditum esse confirmatur, cf. Taubenschlag, *l. c.* 253 n. 5; ad *ἀναπορίζου* clausulam cf. Mitteis, *Grundz.* 185 n. 5; 192; quod pertinet ad *ἀνεπίλημπτον*, quae vox praeter necessitatem hoc loco scripta occurrit, cf. Preisigke, *Wörterbuch* s. v.

23-24. De *βεβαιώσεως* formula, si quae evictio acciderit, cf. Taubenschlag, *l. c.* 253. Res singularis esse videtur, quod si forte conditiones huius pacti non serventur, *βεβαιώσεως* clausula nullā poenā sancitur.

27. Ad clausulam *καθάπερ ἐκ δίκης* cf. Taubenschlag, *l. c.* 408.

28-29. Quam parvi momenti syngrapham consribentibus fuerit haec clausula bis in papyro repetita, inde elucet, quod nihil iam nisi formula usu trita facta est.

31-33. Venditio asini et pecunia a venditore accepta confirmatur.

34-35. Subscriptio emptoris, qui scribendi artis inscius fuit, ab Aurelio Horione suscipitur.

Magistris meis Georgio Manteuffel et Raphaeli Taubenschlag, qui in charta legenda supplendaque mihi praesto fuerunt, grates debitas ago.

*Irena Szymańska*

[Varsoviae]